



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

19 Patronatus omnes acquisiti, & acquirendi ab Ordinariis examinari, &
cognosci possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

lica delegatis, & possunt examinari, & quæ per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ sunt declarandæ, illæ autem, quæ à dicto tempore citra concessæ nondum in toto, vel in parte sortitæ sint effectum, & quæ deinceps ad cuiusvis instantiam fiant, nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis, coràm Ordinario loci, vocatis, quorum interest, verificatis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentas fuisse præsumi, ac propterea, nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino carere debent, concil. Trident. *cap. 6. sess. 7. de reform. sed uniones perpetuæ supra 40. annos factæ ab Ordinario examinari non possunt, ut in decis. manuscript. à sacra congregat. conc. super eod. cap. 6. factis, sub tit. Lancianen. & prærendens unionem supra 40. annos, eam Episcopo ostendere tenetur, ut ibi in eisdem decis. sub. tit. Spoletan.*

Patronatus etiam quicumque † in ecclesiis, & quibuscunque aliis beneficiis, etiam dignitatibus antea liberis acquisiti à 40. annis citra, & in futurum acquirendi, seu ex augmento dotis, seu ex nova constructione, vel alia simili causa, etiam auctoritate Sedis Apostolicæ ab ipsdem Ordinariis, uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus, aut privilegiis impediuntur, diligenter cognosci debent, & quos compertum non fuerit ob maximam, evidentemque utilitatem ecclesiæ, vel beneficii, seu dignitatis necessitatem legitime constitutos esse, in totum sunt revocandi, † atque beneficia huiusmodi sine damno illa possidentium, & restituro patronis eo, quod ab eis propterea datum est, in pristinum libertatis statum induci debent, quibuscunque non obstantibus,

ut in eodem cap. 9. de reform. sess. 25.

Beneficia verò ecclesiastica libera in servitute juris patronatus absque evidenti Ecclesiæ utilitate redigentes, tanquam usurpatores jurisdictionis, & iurium Ecclesiæ, a mathematis pœnam incurunt, ut in cap. 9. de reform. sess. 25. & faciunt. *cap. pradia. & cap. qui abstulerit. 12. quest. 2.*

21 Neminique licet † nec communitati, nec aliis personis laicis possidere ecclesiasticum earum bonis, absque consensu Sedis Apostolicæ, seu Ordinarii, sub prætextu, quòd sint oratoria, seu eremitoria ab ipsis constructa, & dotata, licet de hoc nihil ostendant, nisi antiquam possessionem, & hoc etiam non obstante, quod ibi adsint sepulturæ, vel campanæ supra tectum, vel quòd ibi habitaverint regulares personæ, à quibus postea fuerint destitutæ, quia jus patronatus acquiritur fundatione, & dotatione, & contrafacientes pœnas incurunt, de quibus in eod. c. 9. sess. 25. & cap. 11. sess. 21. & ut à sacra congregatione fuit super eod. cap. 9. decisum, ut in eisd. decis. 5. congregatio censuit nemini, & c.

22 Cognitio verò † validitatis, vel invaliditatis juris patronatus, quando super eo lis oriri contingit, ad Episcopum duntaxat, non ad inferiores, qui jus habent instituendi, spectat, nisi huiusmodi inferiores ordinariam in eo loco haberent jurisdictionem, & ad ipsos inferiores, ad quos spectat institutio, pertinet etiam edictorum, sive citationum ad evocandos oppositores relaxatio, quæ fieri debent in præsentationibus patronorum, & dicta edicta ponere ante institutionem præsentatorum, ad eos spectat, ad quos ante concilium